

ad generale colloquium Pisis indictum duximus evocandos, in omni devotionis affectu, loco et die prefixis, coram conspectu nostro se tam humiliter quam alacriter presentarunt sciscitantes causam ardentius, quare^{a)} noster summus pontifex in affectata pacis^{b)} presentia se mirabiliter absentasset. Ea demum in ipso colloquio, quo frequentia populi copiosa convenerat, tam mirabilius quam verius intellecta^{c)} fugienti pacem non esse cum pace ulterius blandiendum unanimiter responderunt, tamen se paratos^{d)} ad proffectum pacis et commodum asserentes. Si eiusdem summi pontificis modus et motus extirpabili ruina factionis^{e)} rebellium taliter reprimatur, pro necessitate ductus petat, quam sprexit, pacem, et repetat, quam commisit, ad id tam instanter quam efficaciter exequendum vires nostras^{f)} et animas exponentes. Ceterum Parmenses omnes, ex quorum turbatione per aliquos concives procuranda aliquorum vota vel spem falsam^{g)} in audaciam^{h)} mittebat, quos ostensa nobis devotionis constantia fidelissimos reputamus, et omnis discessionis errore sedato et in nostram omnibus se vertentibusⁱ⁾ voluntatem ac capitaneis^{k)} populi, qui eos ad viam erroris^{l)} ducere seu potius seducere credebantur, magistratum omnem et capitaniam renuntiantibus et^{l)} in omnibus dilecti filii nostri H[e]nr[ici] illustris regis Sardinie et sacri imperii legati in Ytalia generalis sic precise^{m)} [se] totaliter [et] nostris beneplacitis obtulerunt et totius civitatis statum dicioniⁿ⁾ nostre suppliciter exponentes, quod nullo unquam tempore Parmensis civitas sic devota mandatis nostris extitit, quin devotior hodie ex cordis affectu et effectu operum reputetur, ac totius meroris sopita prorsus et sublata materia intentio nostra reiecta in sollicitudine conquiescit. Occurrit preterea felicitati nostre presentibus exponendum, quod marchiones de Cheva et marchio de Salice, quos dudum infidelitatis error a fide nostra subtraxerat, reduxit ad fidem cognitio veritatis. Marchio etiam^{o)} Montis Ferratii sue causam^{p)} offensionis agnoscens penitudine ductus in eo est, quod nostre clementie benignitatem^{q)} expectat expositurus se nostris beneplacitis et mandatis. Hec in terra nobis feliciter successerunt successuum premonitio^{r)} futurorum; nec in marinis^{s)} voluit nostra fortuna

^{a)} quam Hs. ^{b)} pace Hs. ^{c)} intellectum Hs. ^{d)} tamen se paratos] totius ocqui (?) Hs. ^{e)} factorum Hs. ^{f)} nobis Hs. ^{g)} falsarum Hs. ^{h)} in audaciam] saudacia (?) Hs. ⁱ⁾ se vertentibus] severtentibus Hs. ^{k)} capitaneus Hs. ^{l)} *übergeschrieben* ^{m)} sic precise] scripsisse Hs. *Für diese Konjektur vgl. etwa Huillard-Bréholles, Hist. dipl. 5, 157 f., 1030, 1124; Winkelmann, Acta Imperii 1, 339 Nr. 387* ⁿ⁾ *Lesung unsicher* ^{o)} folgt de Hs. ^{p)} *vielleicht* culpam ^{q)} benignitatis Hs. ^{r)} premunitia Hs. ^{s)} marinos Hs.

¹⁾ Vgl. Sap. 12, 24.